



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

292. feria 6. de effectibus amoris divini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Feria 5. Domin. 17. post Pentecost.* 51

solis inefficacibus desiderijs inhaerendo. 3. Diligam eum amore unionis, statuendo in nullo me ipsum quaerere, sed Domini gloriam; ab inuuli memoria, & amore creaturarum me abstrahendo, & Dei cognitioni actuali, affectibusque ejus inhaerendo. 4. Diligam eum amore sollicitudinis, omnem otiositatem vitando, ignaviam & torporem in divinis obsequijs abijciendo, in studia sanctorum operum & affectus amoris incumbendo. 5. Diligam eum amore nudo ab omni creaturarum amore, puro ab omni sensuum & affectuum in mortificatione, libero, nihil divini obsequij propter homines omittendo; alieno ab inuitu commodi. 6. Diligam amore forti, dura, & aduersa patiando, & nullius detrimenti causam ab ejus amore discedendo. 7. Diligam amore perseveranti, nunquam per peccatum ab eo me separando, & si vita per millia millium annorum esset trahenda, semper fidelis amator permanendo.

MEDITATIO. CCXCII.

*Feria 6. Domin. 17. post Pentecost.*

*De effectibus amoris Divini.*

Videbo amorem Divinum instar arboris mirabiles virtutum fructus producentem, quos ab eorum possessore Domino **Jesv** petam, **Y 6** **Sens.**

§16 FERIA 5. DOM. 17. POST PENTECOST.

*Conf. 1. Caritas Dei 1. Patiens est.* Statuam propter Dominum ægritudines, infamias, persecutiones, ariditates mentis, consolationum subtractionem, & aduersa omnia hilariter sustinere, & si hæc non eveniant, ad experimentum amoris desiderare. 2. *Caritas benigna est.* Statuam ad omnes comiter, & reverenter tanquam ad filios Dei me habere, & in illos, quoad potero, beneficia conferre, exemplis, doctrinâ, aut saltem desiderijs. 3. *Non emulatur.* Statuam proximis non invidere, sed lætari, si proficiant, & crescant in mille millia. 4. *Non agit perperam.* Expellam omnem inconstantiam, & instabilitatem, & quæ semel agenda, vel omittenda maturè proposui, in his stabilis permanebo. 5. *Non inflatur.* Non superbiam de donis naturæ, aut gratiæ, nec de bonis operibus confidens, nec alios despiciens, aut minores meritis putans, omnibus me per humilitatem subijciam. 6. *Non est ambitiosa.* Non ambiam primas sedes, prælationes, imò fugiam. Nihilominus honestè agam, neque in opere, neque in modo deficiens semper in conspectu Domini operabor. 7. *Non querit, quæ sua sunt.* In omnibus, quæ agam, non meam gloriam, utilitatem, voluptatem queram, sed solam gloriam Dei intendam, & salutem animarum. 8. *Non irritatur.* Non re-  
pendam

*Sabbato. Domin 17. post Pentecost. 517*  
pendam malum pro malo, sed beneficijs, &  
orationibus malevolentiam superabo. 9.  
*Non cogitat malum.* Non iudicabo temerè  
aliena dicta, aut facta, sed in meliorem par-  
tem interpretabor. 10. *Non gaudet super ini-*  
*quitate, congaudet autem veritati.* Non gaude-  
bo de malis afflictionibus proximi, sed com-  
patiar, lætabor de bonis successibus. Veri-  
tatem, qua mihi defectus mei libenter ape-  
riuntur, libenter audiam, ut eos corrigam,  
& emendem. 11. *Omnia credit, omnia sperat,*  
*omnia sustinet.* Omnia credam, sperabo o-  
mnia, officia charitatis ob bonum fratris  
suscipiam.

MEDITATIO CCXCIII.

*Sabb. Domin. 17. post Pentecosten,*

*Quomodo B. Virgo excelluerit  
in dilectione*

**V**idebo B. Virginem *dilectissimam omnium  
dilectarum,* ut eam appellat Rupertus,  
lib. 3. in Cant. Plenam qualitatibus, pro-  
prietatibus, & effectibus amoris Dei; velut  
*agrum amplissimum DEI, quem nullus alius  
locus comprehendere potuit, plenum fructibus  
dilectionis,* ut ait Andreas Hieros. Ora-  
Annuntiat. Petam ab ea dilectionem Dei  
in me augeri.

*Conf. 1. Quomodo B. Virgo propter amo-*  
*rem*

*rem*